Oprawiono w r. 1941.

De tribus
Catulli Veronensis
locis emendandis.

Stef. Pawlicki.

II

Quoniam in seminarii philologici sodales recipi non licet nisi duobus perscriptis dissertationibus, quibus uniuscujusque indoles demonstretur generisque studiorum, diu in dubio fui quem inter latinos maxime scriptorem dissertationis hujus facerem summam quodammodo atque argumentum. Catullum denique elegi, quem a Te, Vir Ill., emendatum et illustratum haberem. Attamen quum me converterem ad opus haud indignum philologo perito et exercito, quid de tirone dicam? sententiae cujusdam tuae in mentem mihi venit, in procemio indicis a. MDCCCLIX praelatae, ter esse felicem, qui in una fabula sex septemve versus desperatos omnibus consentientibus restituisse videretur. Quod de Aeschylo praecipue emendando dixisti, ad unum quemque antiquum scriptorem potest referri, quapropter summa cum verecundia, omni levitate procul abjecta, res erat adgrediendo. Quum autem Hermannum illum per quadraginta annos in uno Aeschylo emendando constet et tamen plurima aliis perficienda reliquisse ignoras, quaeso, tironis quum inscientiae tam imperitiae ne te nimio cum rigore et severitate arciterem primitiarum (praebueris) judicem.

Sed qualiacunque erunt, tamen proferenda sunt. Statim in carmine altero locus offendit depravatus v. 8 ubi codd. optimi

Credo ut quum gravis acquiescet ardor

exhibent, quos secuti sunt Lachm. Rossb.; quum autem hoc nullo modo ferri posset propter 'ut' particulam, omnia conjunctione carentem, vetustis jam temporibus conjectura facta est:

— credo uti gravis acquiescat ardor

nostra aetate ab Hauptio recepta. Attamen Rossb., quum Catulli carmina explicaret, praeclare monuit, ne 'uti' pro vero haberes neque aliud quid esse nisi parvum durumque confugium.

Melius Döringius et Heysius: 'credo ut tum gravis acquiescat ardor' – alii varias fecere conati sunt emendationes, Meinzius 'corde cum gravis acquiescit ardor'. Restat ut Josephi Scaligeri emendationem paucis commemoremus, qui conscripsit:

(ut solatiolum sui doloris
Credunt, quum gravis acquiescit ardor)

ad quae ipsius Scaligeri possumus verba referre, qui in editionis suae praefatione emendationes ~~cum~~ temeritate factas fatalem librorum appellat pestem. Dicit ille hanc esse mentem Catulli: 'O passer, quandoquidem libet mihi dare ludum desiderio meo hoc est, quam libet mihi animi gratia jocari (ut homines tunc credunt se defunctos dolore, quando eo intermittente levantur, puta interjecto aliquo ludicro). utinam tecum ludere, sicut ipsa possem, ac tam levi opere aestu ac dolore meo defungi'! Mirum ~~fitum~~ in modum Catulli verba, quae clarissime patent, ~~intorquentur~~ et confunduntur. Jam primum non opus est longiore demonstratione, ut intelligamus, Catullum verbis 'desiderio meo' puellam suam significare ~~intellexit~~, non autem animi sui appetitum, tum quomodo in verbis (ut solatiolum sui doloris credunt, quum gravis acquiescit ardor) sententia possit ~~et~~ haec inesse: 'homines tunc credunt se defunctos dolore, quando eo intermittente levantur' nemo est qui miretur. ~~Nam~~ Eam potius carminis esse sententiam existimo, ut Catullus, quum saepius vidisset amatam puellam suam ludere cum passere, carmine eum eleganti nec illepido celebraret. Habet autem carmen hoc partes duas, quarum in altera puellam inducit cum passere jocantem eam ob causam, ut solatium habeat dolorum, quibus afficitur (vv. 1–8) – jam e v. 9 poëta ad se ipsum sese convertit, dicens: 'utinam haberem passerem, quocum ludens eadem qua puella mea ratione abigere possem ardorem urgentem animique tristes~~que~~ levare curas'.

Haec sententia simplicissima mihi videtur verbisque Catulli convenire: ~~[illegible]~~ finitur autem post vocem credo – unde ad suos dolores ~~transit~~ eorumque remedium transit poeta. Totum igitur locum ~~carmen~~ hoc modo scribendum esse contendo

v. 6: Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid libet iocari
In solatiolum sui doloris
Credo. Quum gravis me inquietat ardor,
Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi levare curas.

Hoc modo si scribitur, neque necesse ~~opus~~ est unum vel plures versus post v. 8 excidisse putemus ~~putare~~, neque (et solatiolum amplius offensioni) erit neque denique puellae dolores bis habebimus descriptos: ('solatiolum sui doloris' – 'ut tum gravis acquiescat ardor') Quod ad 'in solatiolum' hoc loquendi genus iam Italis antiquis probatum et commendatum est et non minus quam poëtae, prosae quoque orationis scriptores 'in' praepositione ad consilium certum aliquod vel finem utantur indicandum. Eius modi sunt illa, quae apud Cat. ipsum leguntur c. 64, 242: anxia in assiduos absumens lumina fletus et 350: quum in cinerem canos solvent a vertice crines. 'Credo' autem vox (notione 'mein' ich') sane ~~va~~ sententiae, ad quam pertinet, vulgo interponitur neque confestim loci alicuius memini, ubi in fine sit posita: attamen in initio ~~posita~~ legitur apud ipsum Cat. 84, 5: credo sic mater, sic liber avunculus eius / sic maternus avus dixerat atque avia – cf. Ter. Andr. II. 1, 13 credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies. –

Conferamus nos ad carmen VI corruptissimum neque recte explanatum, summam autem difficultatem v. 12 praebet, qui forma, qua in codd. vetustissimis exhibetur, retenta, intellegi nequit: nam in ista praevalet nihil tacere

Neque enim quod ad sententiam neque quod ad metrum ferri potest. Vetustissimus ex interpretibus, qui prae manibus sunt, Josephus Scaligerus sententiam dixit hanc esse poetae: "nam nisi, inquit, stuprum est, quod fateri non audes, nihil est cur taceas, quid noctu facias, nec, nisi quid ineptiarum facis, puta quod febriculosum quid amas". Ordo erat: nam ni stuprum est, aut aliud quid ineptiarum quod facis, nihil refert tacere. Alioqui nam minus latera exhausta sunt, tametsi taces i.e. an minus tua latera quae exhausta sunt, id aperiunt quum exhaustae vires et pandum latus id prodat. Sed ~~quomodo~~

unde omnia illa ~~haec~~ erui possint quam v. 12 et 13 hoc modo scribat:

Nam ni stupra, valet nihil tacere,
(Cur? non tam latera exfututa pandant?)
Nec tu quid facias ineptiarum.

Libenter nescire me profiteor – quae autem ad stupra vocem adnotavit: Flavium illam aut cum ingenua rem habere nupta aut vidua, quod stuprum sit et legibus vindicetur: aut cum scorto, sed morboso, quod pudeat fateri. Stuprum tacere cogere poenae metum, at illud alterum pudorem – haec neque Catulli menti conveniunt neque aetatis ~~temporis~~ illius condicionibus. Dicit enim poeta carminis initio non fore ut Flavius delicias suas celet, nisi inlepidae sint atque inelegantes – de poenae metu aliquo nulla mentio fit, praeterea Catullum ipsum omnium minime usum qui ei cum Metelli uxore fuit, metum

ob aliquem diligenter occultasse.

Diximus post. lectionem: nam in ista praevalet nihil tacere quam receperunt Lachm. Rossb. ferri non posse: nullo enim modo efficitur ~~phalaeceus~~ illud φαλαίκειον ἑνδεκασύλλαβον quo hic opus est: — ∪ — ∪∪ — ∪ — ∪ — ∪̄ sed habemus: — ∪̄ / — — ∪∪∪ — ∪ — ∪ — ~~[illegible]~~ dissolvi ~~autem~~ ~~inveni~~ ditrochaeos autem versum hunc efficientes dissolvi posse nusquam traditum est. Necesse est nulla opinione praeventi carmen aggrediamur, quo facto simplicissimum esse ordinem ~~sententiam~~ atque nexum nemo ~~[illegible]~~ est qui intellegat, erit autem hic: Carmen in tres dividendum partes est: prima (v. 1–5) adloquitur poeta Flavium, criminis ~~opprobrio~~ ei vertens, quod amores suos celet, dicit

nisi deliciae tuae essent inlepidae, certe mecum ea communicares, sed
quod sunt inhonestae, pudet te illa fateri; possit fortasse quispiam
objicere te omnino cum scortio usum non habere sed ei documento erunt
(pars II. v. 5 – 11) quum cubile tum pulvinus lectique argutatio.
Adhuc omnia clara sunt et perspicua, sequitur v. 12 in quo eius
dubio – nihil refert quo modo scribas – admonitio inest, qua Flavius
ut confiteatur peccata sua nocturna, rogatur – Jam pergit poeta
v. 13: cur? non tam latera ecfututa pandas
nec tu quid facias ineptiarum
ut volunt Lachm. et Rossb. Offendit primum cur? vocula, tum juncta illa: non pandas – nec facias; dubitari non potest, quin
'cur' voce sententia illa 'praevalet nihil tacere' magis illustretur et
explanetur, attamen minime opus est ~~explanatione~~ demonstratione
quum jam sententia ~~satis demonstrata~~ satis v. 6–11 demonstrata sit, 'Flavium non viduas
jacere noctes' (Tum haesitamus in verbis non pandas – nec facias,
quae non parvulos scrupulos injiciunt: exspectamus enim necessario
non pandares – nec facias ut habemus v. 2: nec sint – velles
dicere nec tacere posses. Quum autem v. 13 et 14 et summam
praebeant offensionem neque satis possint intellegi eos statim
post v. 11 collocandos esse existimo: pro 'cur non tam' lego 'non essent' ~~neque~~,
pro 'pandas' autem 'panda'. – Jam post v. 14 ponemus depravatum
illum v. 12: nam si iste praevalet nihil tacere
'nam' vocem (offensioni ~~esse~~ ut ~~quominus~~ habeamus) sententiarum nexus poscit et efflagitat: quomodo enim poeta, postquam et cubile et pulvinum testes proferens Flavium indicavit non viduas jacere noctes ~~cum~~ demonstrative pergere potest particulam 'nam' ponens? Non enim demonstratione jam opus est, sed conclusione.
misi et quidem non in Lerpolitio ~~cod.~~ codice legitur (L) – quod in uno ex vetustissimis traditis. Equidem in magna hujus
carminis confusione factum esse statuo, ut ~~quare~~ tua, quum v. 14 statim
ante v. 15: legeretur, 'quare' vocem ~~ex~~ v. 12 incipientem modo
recentem esse putem et confestim additam esse extremam illam v. 15 partem,
omissa iterum particula incipiente, quae fortasse 'atque' erat. De
cujus vocabuli conjunctione in duabus sententiis conjungendis
non necesse est multis disputemus. ~~non est~~

Omnibus his rebus collatis et perspectis ~~meo~~ carminis formam propriam hoc modo esse restituendam censuerim:

Pulvinusque peraeque et hic et ille
10. attritus, tremulique quassa lecti
11. argutatio inambulatioque,
13 non essent latera ecfututa panda,
14 nei tu quid facias ineptiarum.
12 Quare praevalet ista nil tacere
15. atque, quicquid habes boni malique,
dic nobis. —

Hoc modo si scribitur carmen, sententiae aptissime inter se cohaerent: prima parte (v. 1–5) Flavium ~~inspic~~ puellis dare operam (pelex) suspicatur — ~~pelice~~ suspicio ~~alter~~ secunda parte (v. 6–13) demonstratur *) ~~tertia Flavium ad confitendum compellit promittitque~~, lepido se (v. 14–17) carmine amores ejus esse ~~celebraturum. Suspicio autem illa demonstratur~~ (v. 6–13) ~~rebus quatuor, cubili fragranti et pulvino que attrito adjiciuntur lecti argutatio lateraque panda~~. Tertia denique pars (v. 14–17) ~~carminis~~ conclusionem continet: quoniam tam firma certaque indicia rationem vitae tuae produnt, non prodest tibi silentium, dic quaeso, quae agis, nam amores tuos celebraturus sum carmine ~~lepido neque in~~ eleganti neque inlepido.

Alii alia ratione carmen hoc restituendo studuerunt, attamen quum omnes v. 12 loco codd. tradito relinquerent, non necesse esse putavi, ut singulae singulorum emendationes atque explicationes adlatae refellerentur: qualiscunque autem nostra ~~est~~ emendatio est, certe neque sententiarum nexui nec menti poetae repugnare videtur.

Sequitur locus difficillimus c. XXV. 5, qui in codd. optimis legitur

Cum diva mulier aves ostendit oscitantes

Perrejus autem in codice vetustissimo et venerando Romanae bibliothecae "mulier avos" scriptum fuisse adfirmat. — Codd. lectionem falsam habens Scalig. pro "diva" de via scripsit, quem secutus est Döringius. Scal. quidem aves oscitantes λιτονομάδ-ικὰς gavias seu laros ipsos dici, qui semper in fluctu degant, marinam spumam pascentes: tempestate eos in litus ejici. Itaque mulier saga, inquit, quam hic vocat mulierem de via, ut Tragicus dixit: "de circo aruspices" ex eo conjicit tempestatem esse aut aliud

*) quum cubili adlato quae fragranti, tum pulvino, lecti argutatione, pandis lateribus.

nescio quid. Sane verum est, nisi fallor, quod diximus antonomasian esse aves oscitantes, h.e. laros. Nam quum id genus semper in fluctibus versetur, ut spumam depascatur, tempestate ejecti in siccum pene fame tabescunt — unde facile est colligere, illis in sicco visis, tempestatem in mari esse. Haec est nisi fallor vera mens Catulli, quam alii suis ineptis emendationibus totam perverterant! —

Mira admodum interpretatio: Thallus Catullo pallium sudariaque furto abstulerat, quapropter eum ~~dicit~~ turbida rapaciorem esse ~~[illegible]~~ procella dicit. Si jam pergit particula 'quum' profecto exspectamus poëtam temporis momentum aliquod adlaturum esse quo imprimis gravis est procella aut certe rem, in qua procellae vehementia satis declaretur. Quas autem Scal. aves cogitavit, eae aut ante tempestatem in terram confugiunt aut facta tempestate ejiciuntur: ~~possunt~~ igitur mulieres illae sagae nihil aliud prospectis avibus praedicare conspectis nisi aut tempestatem ortum iri aut jam factam esse. Sententia autem ejus modi, ut Thallus rapacior procella dicatur quum mulieres sagae aves marinas oscitantes ostendant, neque Catulli menti convenit atque emendationum, quas ineptas Scal. vocavit, ipsa ineptissima. Eadem in Döringium cadunt, qui Scal. secutus est novum praeterea carmini afferens detrimentum quum scriberet ocinentes pro oscitantes nam quod aves ocinere ~~potest~~ exoriginat dici, quae faustum vel infaustum omen cantu edere vel portendere putarentur — eadem significatio oscitandi voce declarari potest, quae ~~eadem~~ de avibus saepissime adhibetur. Dicit praeterea Döringius ejusmodi aves mulieres circumforaneas pro mercede ostendere solitas esse et quidem ostendere cum delectu, esse enim verbum augurale. Quae omnia scribi omnino potuisse, admodum miror quum neque ad locum nostrum pertineant ~~cadant~~ neque cum carminis sententia universa ne minimam quidem habeant cognationem atque commercium.

Codicum lectio quum propter 'diva' vocis inusitatam significationem tum propter totius versus sententiam, quae carminis menti repugnat, tolerari nequit, quae autem Lachmannus conjecit:

cum diva munerarios ostendit oscitantes

eadem et falsissima sunt nec ulla ratione intellegi possunt. Nam quod munerarium esse dicit eum, qui munera det vel invitus et oscitanti rapta, male hoc facit, quum constet adjectivum "munerarius" idem valere, quod "gladiatorius", munerarium autem, voce substantivi vi adhibita, eum significare, qui ~~munera~~ munus dat gladiatorium — invenitur autem vox haec substantivi loco adhibita demum apud Senecam rhetorem, alios. Sed ponamus munerarium hic appellari ~~eum~~ qui munera dat, quid tum significabit dicendi illud genus, quo dica dicitur munerarios ostendere oscitantes? equidem ~~intellegere~~ nescire me libenter profiteor — neque minus obscurus nexus est quo verba haec antecedentibus conjunguntur, nam quid hoc sibi ~~vult~~ vult ~~illa~~ quod poëta Thallum dicit turbida rapaciorem esse procella, quum dica munerarios ostendat oscitantes?

Quod Lachmannianam diximus conjecturam non posse intellegi, idem in Heysianam cadit, qui hoc modo versum restitutus visus sibi est: idemque Thalle, turbida rapacior procella

cum luna mulierarios ostendit oscitantes

vertitque

und dennoch, Thallus räuberisch, wie jähe wirbelwinde,

wenn weiberjäger nachgeführt im mondenscheine gähnen

qua de causa enim mulierarii sub ~~dica~~ luna ambulantes cum Thalli rapacitate conferantur, nemo est qui intellegat. Accedit quod mulierarius vox ea, qua Heysius vult, notione apud posteriores demum scriptores invenitur.

Sine dubio v. 5, qui particula "quum" incipit procellae commemoratae exspectamus descriptionem; dicit enim poëta haec: Thallus rapacior est turbida procella, quum — nihil jam aliud sequi potest neque aliud quid exspectatur, nisi turbinis momentum, quo admodum rapidus et velox est, quo omnia secum aufert. Si porro carminis versus extremos inspicimus, navem ibi videmus indicari quae ~~in~~ alto in mari ~~ver~~ aestuat deprensa vesaniente vento.

Iam summa cum veri similitudine eandem imaginem versu quoque quinto a poëta adhibitam esse, quapropter scribendum esse existimo:

Quum dica remiges avis deprendit oscitantes

Habemus poetae sententiam ~~et~~ simplicissimam eandemque aptissimam, dicit enim: Rapacior es, o Thalle, quam turbida procella, quum nautas subito deprendit oscitantes; cogitanda est summa aequoris tranquillitas, nautae oscitantes, fessi assiduo labore, lente remos reducunt ad pectora, quum subito avis infausta, appropinquantis tempestatis malum indicium supervolet et statim post eam ventorum vis perterritis navitis occurrit omniaque pervertit.

Versu autem 12. poeta haec cogitat: dixi te quidem Thalle, rapaciorem esse turbida procella, quae navem in alto diruit atque evertit, at cave, ne ordine inverso, ipse tanquam navis deprendaris et aestues flagellis inustis.

Avis quod dira adpellatur non fore puto, ut offensionem praebeat; eadem 'dira' vox posita est notione, qua aves malas dicimus, adversas, sinistras – similiter aliter invenimus diras ~~cap~~ vocatas, omen dirum dicitur apud Ovidium, cometae apud Virgilium; oscitandi autem vox apud ipsum Ciceronem saepissime se offert eadem ratione qua Graecorum χάσκειν; deprendi ~~autem~~ denique et v. 13, ubi navis deprensa dicitur, restitui.

Scripsimus Vratislaviae m. julio a. 1860.